

LVNÆ DIE 17 M. IVNII A. 2013

A.d. XV Kal. Iulias a. MMXIII

I 7 4

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## DECEPTVS GYMNASIO

**A**nte nonnullas septimanas Leo Stoelinga, iam diu amicus, nobis desecuit miram symbolam a diurnario Arjen van Veelen scriptam, quam invenerat in dia-rio *NRC Handelsblad* (14 m. Martii a. 2013). Putabat hanc symbolam nostra interesse, cum ageretur de iuvene Amstelodamensi, Abel Schutte nomine, qui vivum docendi modum maximo cum entusiasmo invenerat.

Ille ergo iuvenis gymnasium frequentavit, i.e. hoc scholæ genus, ubi in Nederlandia lingua Latina traditur... quo tamen effectu? Septemdecim annos natus, studia secundaria valde deceptus perfecit; post tot annos Latinæ institutionis ne Ovidium quidem interpretari valebat; Latinitas eius condiscipulis odio erat ipseque ludos electronicos præferebat. Utinam Latine loqui potuisset! Quamquam quis hodie Latine loquitur? Vix quisquam invenitur in Civitate Vaticana, nullus fere inter linguæ Latinæ magistros!

Concludendum erat linguam Latinam vere mortuam esse, cum inopinanter aliquid audivit de Belgica Schola Nova, in parte Francophona Brabantiae sita. Eam adiit; vidit linguas classicas ibi modo vivo doceri; magistri enim discipulos exercent ut Latine loquantur, non solum optimo cum effectu, sed etiam gaudenter. Scholæ Novæ moderatores eum monuerunt Romæ florere Academiam Vivarium Novum ab Aloisio Miraglia conditam, ubi usus sermonis Latini est cottidianus. Oportebat illuc ire! Facta est vera «revelatio»: particeps gregis viginti circiter iuvenum e toto fere orbe terrarum oriundorum, a Bulgaria usque ad Brasiliam, Abel linguam Latinam didicit non iam iisdem exercitis semper iteratis, sed quasi demersione integra; nusquam quicquam sonabat nisi Latine, etiam in pedifollo aut inter cibos. Quattuor menses ibi mansit ac sibi optimos fecit amicos.

Nunc Abel Ciceronis opera legere valet sicut acta diurna; augetur inde deceptio; nam si paucis mensibus Latine disci potest, cur in gymnasio post quinque annos fieri non potuit? Sæpe dicitur lingua Latina nimis difficilis esse: hoc falsum esse proclamat iuvenis noster, qui expertus nunc scit eam similem esse aliis linguis. Difficultas enim non est in ipsa lingua, sed in docendi ratione; in gymnasio adhibetur quasi «antime-thodus», qua discipuli non discunt legere, sed textus enodare, exsolvere modo inepto, quo frustrantur. Ut Latine legere discamus, necesse est Latine loqui, ut faciebant Humanistæ, ut fit in linguis modernis. Non casu, ait Abel, lingua significant non solum hominum sermonem, sed etiam hanc oris partem, qua loquimur.

In patriam reversus, ille iuvenis cum nonnullis secum consentientibus consociationem condidit, c.n. «Athenæum Illustrè Amstelodamense», quæ inter alia Latinitatem Vivam provehit ac conventus instituit

Amstelodami Lugdunique Batavorum (*Leyde*); anno 2013 a mense Aprili usque ad mensem Iunium instituit seriem scholarum Latinarum, quibus Latine docentes exercentur ad vivum linguæ usum. Quidam autem academicus professor, invitatus, respondit hoc non esse suum «theæ poculum», ut aiunt hodierni.

Perfecta hac symbola, gaudemus quod nostris temporibus adhuc supersunt iuvenes, quibus lingua Latina magno est pretio; triste vero est, omnes fere academicos tantum pretium habere ludibrio. Magna mentis mutatio intra unum sæculum facta est; exemplum affero emeriti professoris Universitatis Groningensis, qui in relatione sua inter «Viventis linguæ Latinæ causa Primum Conventum Universum», Avennione anno 1956 habitum, dixit inter alia hæc: «In patria nostra, quæ, ut omnes scitis, protulit homines, qui Latinitate perspicua, iucunda, eleganti uterentur quique etiam versus Latinos pangerent, hodie etiam inter doctores litterarum classicarum pauci tantummodo inveniuntur, qui Latine scribere possint; quin etiam nonnulli eorum artem Latine scribendi spernunt obsoletamque putant. Mihi autem constat, si quis doctor vel professor linguæ litterarumque Latinarum sit neque tamen ea lingua pulcherrima in commentationibus suis uti soleat, eum numquam linguam Latinam penitus cognitum.»

Iam diu ergo demonstratum est linguam Latinam multo celerius et iucundius disci Latine loquendo, sed regentes nostri maxime timent redditum ad usum linguæ Latinæ omniq[ue] modo impediunt ne mutetur institutio; infeliciter huic facinori consci sunt plerique docentes.

Iam anno 1959 inter «Viventis linguæ Latinæ causa Secundum Conventum Universum» J. Jimenez Delgado, decanus universitatis pontificiæ Salmanticensis, ab Hispanica Societate Studiorum Classicorum missus, initio suæ relationis dicebat hæc: «Sunt qui nos irrideant nobisque obtrectent quia communem linguæ Latinæ usum inter doctos homines universos propugnamus. Quid enim ineptius, aiunt, quam nos cogitata sensusque animi et communia hodiernæ vitæ vetere illo exprimere velle sermone, qui horridus hac ætate auribus nostris sonat, quique ipsis doctoribus hominibus captu difficilis evadit?» Meis quidem auribus lingua Latina bene pronuntiata elegantius sonat, quam nonnullæ linguæ hodiernæ.

Plantæ solum virescunt, si irrigantur; idem dici potest de Latino sermone; cum aliquam pecuniam accipit, floret, sed pugna est impar; hostes enim Vivæ Latinitatis pecuniam publicam accipiunt, fautores contra solum adiuvantur rariss Mæcenatibus. ☩

Gaius LICOPPE

## « SCIDVLA »

AVGVSTI STRINDBERGII SVETI NARRATIVNCVLA (a. 1903)

– quam Latine vertit et enarravit Wolfgangus Jenniges –

**N**eotericorum scripta Latina induere veste non solum delectare animum, sed utilem quoque esse mentium exercitationem nullum censeo *Melissæ* lectorem infitari, cum saepius in nostris fasciculis talia sint a nostris varie proposita. Quæ cum ita sint, brevem heic narratiunculam proponere iuvat Latine redditam, quam anno 1903 composuit Augustus Strindberg, quæque anno 2006, post publicam in Suetia percontationem, «totius orbis optima», Suetorum scilicet iudicio, narratiuncula est nuncupata.<sup>1</sup>

Innotuit autem Augustus Strindberg scriptor Suetus, Holmiæ anno 1849 sat humili loco ortus, fabulis præcipue scænicis, quibus animæ humanæ anxiatem atque in universum mortalium actus acrioribus depingebat coloribus, quem vehementem atque immoderatum veri describendi modum vocabulo *naturalismi* nostrates litterarum studiosi designant. Quum vero Strindbergius anno 1912 supremum obiisset diem, annis centum interpositis, anno scilicet 2012 proxime elapso, in eius memoriam haud inepte pagina est quædam in rete universalis proposita atque instructa, qua hæc fabella, quæ una est ex brevioribus eius narratiunculis, neque iniucunda, licet subtristis sit et animum commovens, variis verteretur linguis atque in usum evaderet præsertim discipulorum et alumnorum.<sup>2</sup>

« Ultimum plastrum deportatum erat; iuvenis inquilinus petasum gerens lugubri velo ornatum postremum transibat conclavia, ne quid relinqueretur. – Minime quidem: nulla res relicta, nil prorsus; exiit igitur in vestibulum, firmo statuens animo se numquam denuo de illis rebus cogitaturum quæ in hac

domo contigerant. Necopinato in vestibulo iuxta telephonum animadvertisit scidulam parieti adfixam, litteris refertam, a compluribus ut patebat manibus conscriptam. Nonnulla verba nitide erant delineata atramento, alia cerussato, vel etiam rubro stilo exarata. Illic erat magnifica illa historia, brevi quidem duorum annorum spatio peracta; omnia hæc, quorum oblivisci studebat: unius hominis vitæ pars una scidula compressa.

Sustulit scidulam, flavum adversariorum nitens folium. Supra caminum figlinum in exedra posuit et inclinatus perlegit. Primum apparebat eius nomen: ‘Alicia’: quo nullum noverat pulchrius, ut sibi tum visum erat, nomen scilicet suæ sponsæ. Postea numerus – ‘151, I’. Tamquam psalmi videbatur numerus, ut in ecclesia. Infra scriptum erat: ‘Argentaria’. Ecce eius munus, sacrum istud officium: panem, domum, uxorem commodans: vitæ fundamentum. At obliteratum erat! Argentaria enim decoxerat, quamquam alia eum servaverat argentaria, post breve intervallum angoris maximis.

Deinde: ‘Florum negotiatio’ et ‘Rædarius meritorius’. Sponsalia erant, et marsupium tum ei erat nummis refertum.

Postea: ‘Supellectilis venditor’, ‘Tapetorum artifex’: instruebatur domus. ‘Baiuli’: in novum domicilium immigrabatur.

‘Theatri tesseraarum venditio 50.50’: matrimonio modo coniuncti diebus singulis Dominicis theatrum solebant melodramaticum adire. Felicissimas illic peregerunt horas: silentes sedebant concordes, una mirantes quæ trans aulæum in scæna agebantur mirabilia.



Sequebatur viri nomen obliteratum. Amicus fuerat, homo in re publica novus, qui tamen fortunam ferre non valebat, cecideratque inexorabiliter, peregre proficisci debebat. Sic transit gloria!

Aliquid novi heic invectum erat in vitam matrimoniī. Scribebatur enim, manu feminea, cerussato stilo: ‘Domina’. Quam dominam? – illam profecto lato pallio vestitam iucunda humanaque facie præditam, suaviter incidentem; neque umquam per exedram, sed per andronem dormitorium adibat.

Infra apparebat eius nomen: ‘Doctrīx L.’

Nunc primum apparebat nomen cuiusdam familiaris. Legebatur ‘Matercula’. Socrus profecto erat, quæ primum in recessu manserat, ne nuptiis inter se recens iunctos turbaret, tum vero libenter, dum urget necessitas, advolat advocata.

Magna nunc apparebat adnotatiuncularum copia cæruleo rubroque stilo exarata. ‘Famulorum procuratio’. Famula aufugerat vel nova erat arcessenda. ‘Pharmacopola’. Hem, oriebantur difficultates. ‘Forum lactarium’. Apparari iubebatur lac, sine bacillis!

‘Herbarius, macellarius’, et ita porro. Res domesticæ per telephonum tractari coptæ sunt: mater familiæ manifesto defecerat. Prorsus. In lecto enim iacebat.

Quod sequebatur legere non iam valebat: caligine

eius offundebantur oculi, videbatur tamquam fluctibus submersus qui trans aquam conabatur salsam spectare. Ecce aderat: ‘Libitinarius’.

Satis patebat. ‘Maior et minor’, subaudiebatur: ‘capulus’. Intra uncos addebat: ‘Pulvis’.

Ultima erat totius rei vox: ‘Pulvis’ erat finis. Et sic res sese habet.

Nitentem cepit scidulam, eam osculabatur, diligenter plicabat, in sinu recondidit. Duobus temporis momentis duo ei revixerant vitæ anni.

Cum domum reliquit, haud incurvus ambulabat; e contrario: erecto incedebat capite, sicut vir lætus et elatus: nam pulcherrimum se possedisse censebat. Quot erant miseri quibus denegabatur!»

(August Strindberg, 1903) ☩

1. Suetice «Ett halvt ark papper» inscripta, i.e. «Dimidium folium chartæ» vel «Scidula».

2. Vides: <http://ethalvtarkpapper.se/> ubi complura de scriptore et eius opere Suetice proponuntur. Versiones autem fabellæ præbentur, præter nostram Latinam, plus quam triginta (sub «Läsa»).

## LEVIS EST FORTVNA: CITO REPOSCIT QVOD DEDIT

Publilius Syrus (L4)

# MODVS PROMOVENDI DOCTORES QVALIS FVERIT SÆCVLO XVII

- *refert Francisca Deraedt* -

**O**ptime lector, cum in præterito Melissæ fasciculo comœdum Molière obiter protulerim<sup>1</sup> medicorum promotionem modo quam maxime ridiculo exponentem, ecce nunc eandem promotionem tibi propono, qualis illo tempore re vera acta est. Hi autem ritus eo magis erant pompabiles, quod licentia medicinæ exercendæ et docendæ gravis habebatur – necnon aliquatenus periculosa – dignitas. Ceterum illo tempore satis raro creabantur novi medici, duabus de causis: impensis quia tanti constabant doctoratus sollemnia, ut pauci se candidatos ostenderent, deinde quod nimis multi iam erant medici. Vindobonæ, exempli gratia, inter annum 1729 et 1737 nullus creatus est medicus; atque etiam postea, candidato ea tantum condicione tribuebatur doctoris titulus, ut promitteret se medicinam exercitatum non esse!

Opportune fit ut tres orationes Vindobonæ simili occasione recitatæ nobis sint servatæ; harum orationum auctor, non solum rector universitatis sed et ipse medicinæ professor, Latinitate usus est admiratione digna pro sæculo, quo linguae vernaculæ iam libentius adhibebantur lingua Latina languidius colebatur.

Paulus de Sorbait (1624-1691), clarus medicus, ab anno 1669 ad annum 1673 rector fuit studiorum universitatis Vindobonensis, quæ tum temporis vocabatur «Archilycæum Viennense». Cum anno 1679 Vindobonæ orta est pestis epidemia, præfuit etiam Consilio sanitatis.

Hic vir bonus testis est morum academicorum; orationes, quibus ipse novos medicinæ doctores sollemniter «creavit, fecit, promovit», in lucem editæ sunt hoc titulo: *Modus promovendi doctores in archilycæo Viennensi, tribus apologicis discursibus, in medicinæ et medicorum encomia exornatus* (Vindobonæ, 1667).

Hoc autem libro nobis claves, ut ita dicam, dantur lautissimæ cærmoniæ, quæ candidati in medicorum ordinem accipiebantur; singula enim et sollemnia, quæ præsentibus omnibus urbis proceribus fiebant, et insignia, quæ novis doctoribus (sive Neo-Doctoribus, ut scribit rector noster) tribuebantur, certam quandam significationem habebant. Sic intellegere possumus cur electi candidati pallium, cur pileum, cur catenam auream et anulum inter hæc sollemnia acceperint, necnon librum clausum et librum apertum: nihil enim harum rerum gravi quadam significatione nudatum.

Sed antequam rite dantur hæc munera, orator, ut exspectandum erat, novis doctoribus nonnulla dat consilia ac medicinæ profert encomium, id quod Paulus de Sorbait neque facit sine sale, neque sine elegantia, ut percipere possumus ex his exemplis, in quibus videamus orationem animum tenere suspensum:

«Quid? Ex Medicina mercimonium aut nundinatorem facere cogitatis? An ignoratis omnem a Deo esse medelam? Perniciosissimos esse in Republica Medicos, ob quorum usum in maiorem vivendi licentiam et breviorem vitam incidere homines? An ignoratis Reges et Principes frequentissima Medicorum caterva stipatissimos brevissimam, Rusticos vero omnibus Medicinæ præsidii destitutos longissimam producere vitam? Adstipulatur Iulius Cæsar, qui annis dumtaxat quatuor, Caius tribus, Galba septem mensibus, Otto tribus, Vitellius octo, Sisinnius Romanorum Pontifex diebus solum viginti, Bonifacius quindecim, Urbanus Septimus duodecim, Valentinus quattuor tantum diebus ad medicamentosa Reipublicæ gubernacula perdurarunt. An ignoratis Romanos medicinam, quæ iis sessentis annis incognita fuit et illibata, ante rerum luxum non admisisse? Æsculapii templum in summum Medicinæ contemptum extra urbem effabricasse, eam mancipia dumtaxat exercuisse? An ignoratis mortales tunc primum sui curam neglexisse, dum sese Medicis tradiderunt? Plures Medicorum copia quam inopia committi errores? An ignoratis naturam esse morborum medicatricem? Argonautas et agricolas usu non studiis fieri medicos? Constitutum esse vitæ terminum, qui præteriri non poterit? An vestras non vellicat aures tristissimum illud: *Medice vivere misere vivere?* An vobis non constat Ægyptios, Scythas, Lusitanos Medicis caruisse? Babylonios languentes in publicum forum adduxisse, ut quisque quod in eo compertum morbo teneret, gratis inculcaret? Non auditis Plinium dicentem: *Medicos esse terræ filios, ex egestatis carceribus et fullonia natos, in communem hominum necem coniurasse?* Non horretis turpissimum illud viri dicterium, qui dum ad ægrotum quendam plures vidisset Medicos de genere, causa, signis, tum diagnosticis, tum prognosticis diu multumque in utramque partem ambiguо marte disceptantes et minime concordes: *Tot, inquit, vultures supra unum cada ver!* (...) Et necdum vestra cessat ambitio?

At: respirate paulisper, animosque resumite. Erravi. Monstra sunt, quæ dicta sunt, et Momorum calumniæ, scommata, barbaries, commenticiæ cavillationes; hæc obtrudunt minutuli scindendi obsonii magistelli, manet tamen inconcussa saluberrimæ Medicinæ, origine cælestis, mundo coævæ, manet, inquam, inconcussa sublimitas.» (p. 2-4)

Et paulo longius:

«Artium Regina, Medicina mortis est Imperatrix absolutissima (...). Et sicuti mel reficit, quia cibus,

delectat, quia dulce, medetur, quia salubre, ita medicina reficit, delectat, medetur. Reficit per diætam, delectat per rerum suarum varietatem, medetur auxiliis. At unum mihi vellicat aures, prima quæ vitam dedit aura carpsit, et summa vitæ felicitas in momento cecidit. Æmilius excusso pollice animam efflavit; Anacreon uvæ passæ arillis<sup>2</sup> in faucibus ætate grandæva siccis hærentibus suffocatus est; Aponius ex ovo sorbili, Aufidius offenso pede. Clio per gaudium exspiravit, o lœta mors! Durius Valla ex mulsi potionē, o dulcissima mors! Pudore cecidit Diodorus, o casta mors! Homerus ex dolore non solutæ quæstionis, o superba mors! Philemon a risu, o lepida mors! Socrate accepto tragicæ historie nuntio, o stulta mors!

At difficultas hæc levī velatur cortice, cuvis perforatu non diffici: sat senex est, qui pervenit ad ultimum sui fati. Insanus neget hominem esse imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusum, inconstantiae imaginem, calamitatis et invidiæ trutinam, de reliquo bilem et pituitam. Qui dum nascitur plorat, et vitam a lacrimis auspiciatur ut eam lacrimosam fore prænuntiet. Nihilominus licet infinitus rerum plastes Deus vitæ hominis terminum posuerit centum viginti annorum, Genesis 6<sup>o</sup>, eum tamen ope medica excessisse non paucos testatur antiquitas.» (p. 15-17)

Aliis etiam locis patet verborum copia et magnificentia, legenti vere delectabilis; at, cum lectorem benevolum diutius obtundere nolim medicinæ encomio, veniamus tandem ad significationem illorum munerum et solemnium, quæ doctoris creationem signant (p. 10 sq., 28):

- Pallium: «Accipite pallium quasi Palladium Minervæ templum, solis genuinum Musis domicilium. Purpura hæc, quasi bis pura vos decet, ut scilicet et corpore sitis, et animo puri.»

- Pileus: «Libertatis prototypon esse pileum testatur Livius;<sup>3</sup> hinc servos olim ad pileum, id est ad libertatem, vocatos fuisse testatur antiquitas. Animo itaque vestro libertatem afferat pileus iste, sapientiæ vero captivitatem, hinc tegite capita vestra, ne sapientia evaporet, vel gravioribus cæli iniuriis impetantur sacræ Palladis arces, eius tamen ab intellectus sublimatione profectam cavete fixationem, alias non sapientiam tantum sed stultitiam quoque captivabit.»

- Catena aurea: «Concatenati estote, ne abeuntibus vobis in varias sententias, opiniones et sectas, abeant ægroti in varios tumulos. Aurea vos decet esse catena, dat enim Galenus opes, &c.»<sup>4</sup>

- Anulus: «Anulus apud Romanos solis legatis dabatur, et vos estote apud ægrotos legati, constantem inter



Paulus de Sorbait habitu academico.

eos et ipsorum morbos pacem stabilituri. » Anulus etiam signabat unionem doctoris et Hygiæ.

- Liber clausus: «Accipite librum clausum: thesaurum nempe reconditum, in quo mortuorum vivunt animæ, versari enim cum libris est versari cum mortuis. » Neque scientia in solis libris est quærenda...

- Liber apertus: «Et cum moderata lectione saginandus sit animus, frequentissime aperiendi sunt libri, scientia enim egere egestas est pessima, et vita sine litteris mors est et vivum hominis sepulcrum. »<sup>5</sup> ... Neque ullus dies transeundus est sine linea.

- Denique amplexus: «Salvete Neodoctores seu novi sanitatis consulti cara animæ meæ pignora. »

Tum demum nobis cum Iohanne Baptista Poquelin sive Molière tam lète quam culinarie licet conclamare: «Dignus, dignus est entrare In nostro docto corpore!» ☺

1. Vide *Melissæ* fasc. 173, p. 2: Molière, *Le malade imaginaire*, acte III, troisième intermède.

2. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, 1883, I p. 384: Arilli, sunt arida grana uvæ, ab ariditate dicti.

3. Liv. XXIV, 16: Apparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant; ad ea invitabant Gracchumque orabant ut epulari permetteret militibus; et Gracchus ita permisit, in publico epularentur omnes. Ante suas quisque fores prolatæ omnia. Pileati aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt, alii accubantes, alii stantes, qui simul ministrabant vescebanturque. Digna res visa ut simulacrum celebrati eius diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingu iuberet in æde Libertatis quam pater eius in Aventino ex multatice pecunia faciendam curavit dedicavitque.

4. Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores, / Sed genus species cogitir ire pedes. Robert Burton (1577-1640), *Anatomy of Melancholy*, I, 2, 3, 15.

5. Seneca, *Ep.*, X, 82, 3: Otium sine litteris mors est et hominis vivi sepultura.



# DE IMMENSO CÆLO (VI)

(1642-1742: HUYGENS, CASSINI, NEWTON, HALLEY)

- *scripsit Gaius Licoppe -*

Tycho Brahe omnia in cælo observaverat, quæ oculis nudis adspici poterant. Inde a perspicillo astronomico a Galileo invento, astronomiæ progressus coniunguntur cum progressibus instrumentorum ad cælum investigandum aptorum.

Perspicilla astronomica modo Galilei confecta defec-  
tum habebant, qui vocatur «aberratio chromatica». Lens enim convexa, sicut prisma, transeuntes lucis radios dividit in complures coloratos radios, qui non eodem angulo refranguntur.



Qua de causa imago ab observatore percepta iride ornatur, qua infeliciter minus accurata fit. Tunc inventum est hanc chromaticam aberrationem eo magis minui, quo maior est perspicilli astronomici longitudine focalis.

Quo comperto, Christianus Hugenius (Huygens) (1629-1695) perspicillum tam longum fabricat, ut lens obiectiva, ad sumnum malum destinata, cum lente ocularia tubo iam non iungatur.


Christianus Hugenius, civis Nederlandus Hagæ Comitis ('s Gravenhage sive Den Haag) in locupleti præstantique familia natus, præcipue est mathematicus, clarus factus propter inventionem horologii oscillatori. Aerio tamen perspicillo suo reperire valuit satellitem planetæ Saturni, cui nomen datum est Titan, ac monstrare nebulosam Orionis constare e multis stellis. Nonnullas alias nebulosas et stellas duplices invenit. Galileus anno 1610 invenerat Saturno esse duo tubera, quæ «aures» vocaverat; accuratiore imagine suo instrumento accepta, Hugenius demonstrare potuit has aures

re vera esse circulos ex innumerabilibus lapidibus constantes. Multa opera Latine conscripsit, ut *De Saturni luna observatio nova* (1656) et *Horologium oscillatorium sive de motu pendulorum* (1673).

Anno 1666, iussu Francogalliae regis, Ludovici XIV, Lutetiæ Parisiorum condita est Regalis Academia Scientiarum, Romanæ Academiæ Lynceorum (1603) et Londiniensis Regalis Societatis (1645) instar. Etiam Observatorium Astronomicum Lutetiæ Parisiorum conditum est die 21 mensis Iunii a. 1667, die scilicet solstitii æstivi; Academiæ mathematici lineam circuli meridiani in solo descripserunt; ædificium enim ita positum est, ut eius planum medium inde ab eo tempore definiret meridianum Parisiensem.

Iohannes Dominicus Cassini (1625-1712), clarus Italus astronomus, cum observatorium astronomicum regat haud longe a Florentia situm, anno 1669 invitatur in Francogalliam, in cuius civitatem recipitur. Continuo sodalis Regalis Academiæ Scientiarum factus, ab anno 1671 Observatorium Parisinum regit. Præcipue invenit magnam maculam rubram in planeta Iove et quattuor satellites planetæ Saturni; primus accurate metitur quantum Terra distet a Sole. Francogallice opera sua divulgat.

Hugenius, iam anno 1666 in Francogalliam invitatus, sodalis Regalis Academiæ Scientiarum statim fit atque ei præest ab anno 1670; cum Iohanne Dominico Cassini cooperatur ad instruendum Observatorium



*Christiani Hugenii perspicillum aerium (gallica.bnf.fr)*

Parisinum, quod anno 1672 perficitur.

Antea, i.e. anno 1663, Hugenius factus erat sodalis Regalis Societatis Londiniensis (*Royal Society*). Anno 1666 aliquid compererat de primis Newtoni investigationibus ad naturam lucis spectantibus, cum Newtonus a Societate Regali invitatus esset ut demonstrationem faceret suorum experimentorum. Ab eo tempore Hugenius quoque lucem investigat et anno 1678 primum Academiæ Parisinæ communicat magnam theoriā de natura lucis, quam demonstrat esse undulatōriam; hoc anno 1690 divulgat in libro Francogallice conscripto, c.t. *Traité de la lumière* (i.e. Tractatus de luce).

Anno 1681 Hugenius redit Hagam Comitis, ubi manet usque ad finem vitæ; nam, cum sit protestans, iam non audet in Francogalliam redire, ubi post abolitionem Edicti Namnetici (*Nantes*) (1685) catholici reformatos christianos persequuntur.


Loquendum nunc est de clarissimo viro Anglo, Isaac Newtono (Newton, 1643-1727); eius perscriptus dies natalis est 25 mensis Decembris a. 1642, non mensis Ianuarii a. 1643, quod tunc temporis Regnum Anglicum nondum adoptavit kalendarium Gregorianum. Ruri nascitur in rusticorum familia; mater tamen comperit eum magis aptum esse ad mechanicam quam ad agros colendos.

Duodevinti annos natus, fit alumnus Trinitatis Collegii Cantabrigensis (*Cambridge*), ubi septem annos manet. Tantum est eius ingenium et curiositas, ut fiat mathematicus, physicus, astronomus, alchemista, philosophus necnon theologus. Hic solum de eius operibus ad astronomiam spectantibus agetur.

Anno 1665 Cantabrigam, ubi sævit pestis, relinquit ac duos annos ruri in domo paterna degit. Ibi laborare pergit magno cum fructu in re mathematica, physica et optica; omnia, quæ de his postea editurus est, ibi concepta sunt.

Experimentum lucis radii prismate in iridis colores divisi iam antea factum erat; colores putabantur in ipso prismate latere. Newtonus coloratos radios in alterum prisma ducit et observat eos iterum in unum radium album contrahi; inde demonstratur colores in ipsa luce esse, non in prismatis vitro.

Anno 1672, 29 tantum annos natus, creatur sodalis Regalis Societatis Londiniensis. Cum perspicilla astronomica defectum chromaticæ aberrationis habeant, Newtonus telescopium fabricat, ubi loco lentis convexæ adhibetur speculum concavum; de speculo concavo adhibendo nonnulli antea iam cogitaverant, sed Newtonus primus huiusmodi instrumentum fabricat, cuius demonstrationem facit in Regali Societate.




Schema telescopii a Newtono fabricati  
(astronomie-amateur.sophie.m.over-blog.com)

Tandem anno 1704 Newtonus optica sua inventa divulgat in tractatu *Opticks* inscripto, quo statim clarissimus fit, non tamen sine invidiis et rixis cum collegis.

Primum telescopium speculo concavo præditum, quod creavit Newtonus, sequuntur usque ad nostra tempora telescopia, quorum specula maiorem maioremque diametrum habent, ut corpora cælestia tenuioris nitoris detegi possint.

Perspicilla tamen appropinquantia lentibus prædicta non sunt derelicta, quia anno 1733 inventus est modus aberrationis chromaticæ corrigendæ: loco unius lentis adhibetur lens duplex, cuius e duabus partibus arte conglutinatis una habet maiorem refractionis vim; huiusmodi vitrum anno 1675 invenerat Georgius Ravenscroft Anglus, qui id vocaverat *Flint glass*, i.e. vitrum e silice; etiam vocatur *Lead Crystal*, i.e. crystallus cum plumbō.

Modus aberrationis corrigendæ diu latet secretus; tum demum, postquam anno 1758 Iohannes Dollond Anglus hanc inventionem publice perscribendam curavit, duplices lentes achromaticæ in usum veniunt.



Correctio aberrationis chromaticæ (Wikimedia)

Maximum et notissimum Newtoni opus titulum habet *Philosophia Naturalis Principia Mathematica*. Post investigationes de motibus a præcessoribus factas, ut a Galileo et Hugenio, valet legem universalis gravitationis (sive corporum attractionis) invenire, qua æque explicatur cur malum in terram cadat et cur corpora cælestia in orbitis moveantur.

Keplerus suspicatus erat aliquam vim necessariam esse ad orbitas planetarum explicandas; eam mathematically describere valet Newtonus. Qui etiam inventor

est, simul cum Godefrido Guilielmo Leibnitio (Leibnitz, 1646-1716), calculi infinitesimalis.

Omnia nunc in promptu sunt, ut scientia, tunc philosophia naturalis vocata, viam suam triumphalem ingrediatur. Prima instrumenta optica non desinunt meliora et efficaciora fieri, Universum totum eadem lege regitur et mathematica fit scientiæ sermo.

Newtonus haberi solet ut conditor scientiæ rationalis; re vera solum est gradus, certe magni momenti, ad scientiam rationalem; nam ipse multo magis incubuit in philosophiam, theologiam, quin etiam alchemiam. Res mira, ipse Newtonus suum inventum non intellegit; scribit enim hoc: «Gravitationem esse ita innatam, inhærentem materiæ, ut corpus ex longinquò per vacuum in alterum agere possit sine auxilio alicuius rei ad actionem et vim ex uno in alterum vehendam aptæ, hoc mihi tam absurdum videtur, ut nemo, qui de problematis philosophicis cogitandi facultatem habet, id credere possit.»<sup>1</sup>

Newtonus totam libertatem in natura investiganda sibi arrogat, qua non respuitur cogitatio metaphysica et theologica.

Newtonus habet mentem vere religiosam; conscribit criticam textus Sanctæ Scripturæ, c.t. *An Historical Account of Two Notable Corruptions of Scripture*.

Putatur fuisse hæreticus, fautor «unitarismi», i.e. proximus a «socianismo»,<sup>2</sup> quo respuitur Sancta Trinitas. Tanta tamen tunc temporis erat Ecclesiæ pressio dogmatica, ut propriam opinionem non publicaverit.

Newtonus regularitatem motuum planetarum admiratur, quam habet ut manifestationem divi consilii. Putat tamen sistema solare aliquando a Deo fore reparandum, cum paulatim crescat eius instabilitas. Monet ne quis propter legem universalis gravitationis Universum habeat tantum ut machinam; gravitatio enim planetarum motus explicat, non dicit quis eis motum dederit; Deus omnia gubernat et scit omnia quæ sunt.

Newtonus alchemiam invenit anno 1666 eique paulo post studere incipit, id quod triginta fere annos facere pergit; secretum conexum habet cum aliis alchemistis et sibi nomen fingit «Ieoua Sanctus Unus», quod est anagramma nominis «Isaac Neuutonus».

Eius scripta alchemica magnam partem non eduntur et in oblivionem veniunt. Cum anno 1872 eius familia omnia scripta librosque, quos servaverat, dono dedisset Universitati Cantabrigensi, bibliothecarius omnia scripta remisit, quæ non essent «scientifica», præsertim ea, quæ ad alchemiam spectabant. Tandem anno 1936, cum hæc scripta in auctione dispergerentur, John Maynard Keynes pleraque collegit et servavit; librum conscrip-

sit, c.t. *Newton, the Man*, quo concludit Newtonum non esse primum ætatis Rationis, sed ultimum Babyloniorum et Sumeriorum, ultimum magnorum ingeniorum, qui mundum visibilem eisdem oculis contemplaverit ac ei qui ante decem circiter milia annorum nostram hereditatem intellectualem construere coeperunt.

Edmundus Halley (1656-1742) in aliquo vico prope Londinium nascitur; eius pater, locuples negotiator, ei tantam pecuniam dat, quanta necessaria est ad frequentandas quam optimas scholas. Videtur ad astronomiam incitari miro spectaculo duarum magnarum cometarum, quæ annis 1664 et 1665 per cælum Londiniense transiunt; cometæ tunc malam habent famam, quare superstitosus populus putat priorem esse causam magnæ pestis Londiniensis, alteram terribilis incendi, quod hanc eandem urbem vastavit.

Anno 1672 intrat Reginæ Collegium Oxoniense (*Queen's College, Oxford*), ubi præcellit.

Hic memorandum est Observatorium astronomicum (*Royal Greenwich Observatory*) anno 1675 creatum esse in vico *Greenwich*, iussu Angliæ regis, Caroli II, ut diligentissime corrigerentur tabulæ astronomicæ, quibus longitudines in navigando necessariæ accurate definiri possent.

Anno 1975 Edmundus Halley ad Observatoriū Regalem Astronomum scribit, monens se errores invenisse in tabulis positionum planetarum Iovis et Saturni. Comporta calculi exactitudine, primam symbolam scientificam ei licet divulgare in periodico Regalis Societatis Londiniensis, cum tantum undeviginti annos natus sit.

Bona fama nactus, iuvante Regali Societate, navigat ad insulam Sanctæ Helenæ, ubi intra sesquiannum mapam stellarum hemisphæræ meridionalis multo frequentiore et accuratiore quam præcedentes describit.

Edmundus Halley præcipue clarus factus est inventis ad cometas spectantibus. Secundum Aristotelem, quem Ecclesia catholica sequebatur, cometæ erant phænomena atmosphærica, non stellæ; Tycho autem Brahe suis observationibus demonstravit cometam, quæ anno 1577 per cælum Europæum transiit, multo longius a Terra abesse atque inter planetas in orbita moveri. Ecclesia tunc coacta est cometarum naturam planetariam agnoscere, quod non impediebat eas esse signa divina plerumque divinam iram nuntiantia. Tempore ergo Edmundi Halley cometæ habebantur ut phænomena, quæ prævideri non poterant; docti putabant cometas cursum habere parabolicum, quo singulæ semel tantum in cælo apparerent.

Cum anno 1680 Edmundus Halley ad Francogalliam

navigat, iterum cometa cælum transit. In Regale Observatorium Parisinum a rectore Cassini affabiliter recipitur, qui eum incitat ad investigandam cometarum quæstionem; non solum suas præsentis cometæ observationes ei tradit, sed propriam etiam defert cogitationem de eius motu; putat enim eandem esse ac eam a Tychone Brahe anno 1577 iam observatam et in orbita circulari moveri. Decem tantum annis post, Edmundus Halley hoc demonstrare incipiet.

Anno 1682 Edmundus Halley cometam parum lucentem observat, cui postea eius nomen datum est. Anno 1684 amicam consuetudinem iungit cum Newtono, cuius ingenium valde admiratur et cuius theoriam gravitationis universalis adhibet ad solvendam cometarum quæstionem.

Anno 1695 incipit omnes cometarum transitus recensere non solum sui sæculi, quo solito frequenter fortuito fuerunt, sed etiam præcedentium temporum usque ad Plinium Maiorem et Senecam. Orbitas calculare 24 cometarum, quæ inter 1337 et 1698 appa-ruerunt, est opus arduum, scrupulosum et longum. Post complures annos detegit tres transitus eiusdem cometæ a. 1531, 1607 et 1682. Miratur tamen quod inter-valla non sunt æque longa et iterum nitens theoria gra-vitationis demonstrat cometæ orbitam deformari attrac-tione planetarum Iovis et Saturni. Tandem anno 1705

exitus suorum laborum Latine divulgat in libro c.t. *Astronomiæ cometicae synopsis*, ubi prædictit hanc come-tam cælum iterum transituram esse anno 1758.

Hoc ipse videre non potuit, sed cum cometa, ut nuntiatum, apparuisset die 25 mensis Decembris a. 1758, nemo eius theoriam iam negare potuit. In eius honorem huic cometæ datum est nomen Halley. ☩

1. « That Gravity should be innate, inherent and essential to Matter, so that one body may act upon another at a Distance through Vacuum, without the mediation of anything else, by and through their Action and Force may be conveyed from one to another, is to me so great an Absurdity, that I believe no Man who has in philosophical Matters a competent Faculty of thinking can ever fall into it. » (B. Cohen, R.E. Schofield, *Isaac Newton Papers et Letters on Natural Philosophy and Related Documents*, Harvard University Press, 1958).

2. « Socianismus » vocatur doctrina reformata Italorum Lelio et Fausto Sozzini exeunte XVI sæculo elaborata et latius per Europam XVII sæculo diffusa. Eius præcipuae singularitates sunt hæ:

- non licet civitatis regimini civibus unam doctrinam religiosam imponere.
- Sanctus Spiritus non est persona, quæ adorari potest; tantum est potentia a Deo emanans.
- Iesus non exstabat antequam e Maria natus est; est homo totus dicatus voluntati divinæ; quare eum vocant Filium Dei. Deus ergo est unus, non trinus.



*Cometa Edundi Halley, m. Aprili a. 1066 conspecta, in tapeti urbis Arægeni (Bayeux). Scriptum est: «Isti mirantur stellam».*

# EPISTOLÆ OBSCVRORVM VIRORVM

## (II) « QVI NON CVRAT ILLAS GRÆCAS FANTASIAS »

– *quas legendas proponit Francisca Deraedt –*

**P**ost salutationes nonnumquam, ut in præterito *Melissæ* fasciculo vidimus, satis miras, sæpe fit ut cleri, theologi et alumni M. Ortvinus Gratio magistro venerabili offerant dona. Grati enim sunt erga doctum virum, cui totam debent scientiam suam:

« Potestis cogitare: ‘ecce iste est superbus, quia habet bonam stantiam Romæ, et propterea non curat mihi scribere, et est oblitus quod fui præceptor suus, et docui eum in poesi et artibus et cum hoc etiam in græcismo, ita quod pro parte est bonus græcus.’ Dico quod non, et diabolus auferat me si non habeo vos in memoria et etiam in orationibus meis erga deum. Quia dicit Gregorius quod ingratitudo est radix omnium vitorum; ergo qui peccat in ingratitudine, peccat in omnibus peccatis. Sed si ego non scriberem vobis per superbiam, tunc essem vobis ingratus, qui fecistis mihi talia bona.» (*Epistolæ Obscurorum Virorum*, II, 8)

Dona oblata varii sunt generis: Iohannes Pileatoris, quem præterita occasione iam vidimus dominum Ortvinum multimodis salutantem, carissimo magistro duo statim dat munera, pretium etiam indicans ne minoris æstimentur:

« In signum dilectionis mitto vobis hic duo munera, scilicet unum Pater noster factum de cornu bufli, et tetigit sepulchrum Sanctorum Petri et Pauli et multas alias reliquias Romæ. Et cum hoc feci tres missas superius legi. Et dicunt quod valet contra latrones et omnes interfectoriales nequitias, quando aliquis orat Rosarium in eo. Secundo mitto vobis unam rem quæ est ligata in paniculo, et habet virtutes contra serpentes, quia vidi experimentum; et quandocumque (deus custodiat) mordet vos unus serpens, tunc non nocet vobis; ego dedi unum Carlinum pro.<sup>1</sup> Fuit hic unus in Campo floræ<sup>2</sup> qui facit mirabilia per virtutem sancti Pauli, et habuit multum de serpentibus terribiliter formatis, ita quod est mirabile ad videndum. Ipse tangit eos et non nocet ei. Sed quando mordet unum alium, tunc ipse liberat eum per talem virtutem, dans homini illam materiam sic ligatam; et dicunt quod est de illa progenie, cui sanctus Paulus concessit talem virtutem. Quia quando sanctus Paulus ambulavit in terris, tunc semel fuit hospitatus ab uno viro qui tractavit eum cum summa reverentia, et faciens ei bonam Companiam præbendo comedere et bibere et bona lectisteria, et de mane quæsivit eum ‘O bone domine, non habeatis mihi pro malo: ego video quod estis unus magnus vir, et habetis specialem gratiam a deo. Et non dubito quod estis sanctus, quia heri vidi vos facere

miracula. Rogo dicatis mihi quis estis?’ Respondit ei sanctus Paulus: ‘Ego sum Paulus Christi apostolus’. Tunc ille vir cecidit in genua sua dicens: ‘O sancte Paule, parcatis mihi, quia nescivi quis estis; et ergo rogo vos velitis deum orare pro peccatis meis, et velitis mihi dare pro valedictione unam specialem gratiam propter deum.’ Dixit ei sanctus Paulus: ‘Fides tua salvum te fecit’ et dedit ei talem gratiam, et omnibus successoribus suis, quod possunt sanare homines qui sunt beneficiati a serpentibus. Et iste vir qui dedit mihi hoc, est de tali progenie, sicut multotiens probavit.<sup>3</sup> Ergo accipiatis pro bono.» (II, 16)

Utile quidem donum viro qui, Coloniæ docens, non tam sæpe versatur in periculo serpentis conveniendi. Irrisio hic est manifesta: humanistæ enim superstitiones ignorantis populi reprehendunt, quæ etiam ad indulgentias, ut vocabatur illud gratiarum commercium, pertinent. Contra homines invitant ut fide sincera Euangeliique lectione redeant ad veram Christi doctrinam. Cogitemus de Erasmo, qui Ecclesiæ superstitiones et consuetudines facete vituperabat, imprimis in *Laude Stultitiae*.

Sed ecce alius alumnus carmen offert, cuius lectio nem nullo damno præterire possumus, libenter tamen legimus interpretationem ad metrum pertinentem:

« Quia non volunt credere quod in Almania sunt etiam ita bene poetæ sicut in Italia. (...) Ipsi dicunt quod [carmen meum] non est recte compositum seu comportatum in pedibus suis. Et ego dixi: ‘Quid ego curo pedes? Ego tamen non sum poeta sacerularis, sed Theologicalis, et non curo nec habeo respectum ad ista puerilia, sed tantum curo sententias.’ Quapropter, domine Ortvine, debetis mihi omni modo respondere ad hoc dictamen, et debetis litteras ponere in bancum.<sup>4</sup> » (II, 27)

Dominus enim Ortvinus magnus est, ut iam scimus, poeta. Itaque peropportune tertius donator librum affert melicum. Cum autem carmen quereret tanto magistro tantoque poeta dignum, fortuito incidit in quendam Homerum sibi nullo modo notum. Hæc festiva epistula sale non caret; alludit enim ad mediævalem linguæ Græcæ inscientiam, quæ etsi non tam crassa fuit quam fama fert, tamen hanc claram (et iucundam) sententiam nobis revocat in memoriam: « Græcum est, non legitur ». Quicquid id est, operæ pretium est hanc parvam margaritam legere integrum:

« Petrus de Wormatia M. Ortvinus Gratio S. P. D. Vir eximie, secundum quod estis mihi naturaliter incli-

natus et multum favetis mihi, ergo etiam volo vobis facere possibilia. Dixistis mihi autem ‘O Petre, quando venitis Romam, videte an sunt novi libri et mittatis mihi aliquos.’ Ecce habetis unum novum librum qui est hic impressum. Et quia estis poeta, credo quod potestis vos multum ex illo meliorare. Quia audivi hic in Audientia ab uno Notario, qui debet esse perfectus in tali arte, quod iste liber est fons poetriæ, et autor eius qui vocatur Homerus<sup>5</sup> est pater omnium poetarum; et dixit quod est adhuc alias Homerus in Græco.<sup>6</sup> Tunc dixi: ‘quid mihi cum græco? Ille Latinus est melior; quia volo eum in Almaniam mittere M. Ortvino, qui non curat illas græcas fantasias’. Et interrogavi eum ‘quid continetur in tali libro?’ Respondit quod tractat de quibusdam viris qui vocantur Græci; qui bellaverunt cum aliis viris qui vocantur Troiani, quos etiam audivi prius nominare. Et isti Troiani habuerunt unam magnam Civitatem, et illi Græci posuerunt se ante Civitatem et iacuerunt ibi bene X annos; tunc Troiani aliquando exiverunt ad eos, et percusserunt se realiter cum ipsis, et interfecerunt se mirabiliter ad invicem, ita quod totus Campus sanguinavit; et fuit ibi quædam aqua, quæ fuit colorata per sanguinem et fuit per totum rubicata. Ita quod fluxit sicut si esset sanguis; et clamor audiebatur in Cælo, et unus proiecit unum lapidem quem XII viri non possent elevare, et unus equus incepit loqui et prophetizavit. Sed non credo talia, quia videntur mihi impossibilia; et tamen nescio an talis liber est multum autenticus. Rogo scribatis mihi de eo, et faciatis me cognoscere quid tenetis. Et cum hoc valete. Datum Romæ.» (II, 44)

Quamquam quid tantum honorant professorem, qui non raro ipse errare solet? Iam in prioribus litteris neminem fugit perfidus ille aculeus de doctrina magistri, qui Homeri (saltem Latine redditii) lectione poterit se «multum meliorare». Sed hoc est nihil: multo enim morosior evadit Thomas quidam Klorbius, «humilis theologiæ doctor», qui ceteros edocere sibi permittere potest, cum fortunam habuerit studendi... Lovanii.

«Thomas Klorbius humilis Theologiæ doctor M. Ortvino Salutem. Quia scriptum est ‘vexatio dat intellectum’, ergo non debetis mihi habere pro malo quod modicum teneo vobis oppositum, cum Ego facio in bonam partem. Vos nuper scrisistis in uno dictamine de uno Magistro nostro, quod est valde doctus, et est Doctor multorum annorum, et est profundus Scotista, et est valde cursivus in libris Sententiarum.<sup>7</sup> Etiam scit mentetenus totum librum Doctoris sancti de Ente et Essentia.<sup>8</sup> Et Fortalitium fidei<sup>9</sup> est ei sicut Pater nos-

ter; et per artem memorativam impressit sibi formalitates Scotti sicut ceram. Et ultimo scribitis quod est membrum decem universitatum. Parcatis mihi, vos estis incongruus. Quia unum membrum non potest habere plura corpora; sed per contrarium unum corpus bene habet plura membra. Quia corpus humanum habet Caput, pedes, manus, brachia, ventrem, priapum, vel vulvam si est mulier. Et pes est membrum hominis, et caput est membrum hominis etc. Et totum Corpus hominis habet sub se illa membra, et illa membra subsunt huic Corpori, sicut species suo generi. Sed nullum istorum membrorum habet sub se plura Corpora.

Sed si velitis dicere quod talis Magister noster est Corpus decem universitatum, iterum ego vellem reprehendere vos. Quia ibi putaret aliquis, quod decem Universitates essent membra illius magistri nostri, et quod ipse constaret ex decem universitatibus; quo posito fuerit scandalum illis X universitatibus et ipsæ minorarentur exinde, cum unus homo (quia etiam magistri nostri, sicut scitis, sunt homines) diceretur esse dignior tot universitatibus; quod est Casus impossibilis, quia etiam Doctor sanctus non est plus quam X Universitates.

Quomodo ergo volumus emendare, quod dicimus recte? Advertatis, quia est quæstio multum difficilis, et quamvis pertinet ad grammaticalia, tamen etiam plures Magistri nostri non sciunt.

Ille ergo qui est inmatriculatus in decem universitatibus, etiam ad tempus studuit in eis, audiens lectiones, et servans statuta, facto etiam et servato iuramento, exhibens honorem Magistris et doctoribus, potest dicere: ‘Ego sum membra decem Universitatum’, et non ‘membrum.’ Et non est Oratio incongrua, quamvis sit ibi disconvenientia in numero. Quia fit ibi appositiō, sicut in Virgilio: ‘Formosum pastor Coridon ardebat Alexem, Delicias domini.’<sup>10</sup>

Quia ibi etiam Alexis, qui est solum unus rusticus, dicitur esse delitiae per Appositionem.

Et credatis mihi quod est una subtilitas valde notabilis. Ego didici quando steti Leuoniæ,<sup>11</sup> et nondum fui bacularius, quando hæc materia fuit disputata per quatuor dies. Non habeatis pro indignatione, quia ex bono scripsi vobis et Valete. Datum Confluentiæ. » (II, 13)

Iohannes Duns Scotus, Doctor subtilis cognominatus, et Thomas Aquinas, Doctor angelicus, magni magistri philosophiæ scholasticæ, occasionem hic inviti præbent ipsam scholasticam deridendi. Cognomen autem, quod est «doctor subtilis», quo Medio Ævo

significabatur peracuta ratiocinatio, tempore litterarum renatarum aliter intellegitur, ita ut «subtilis» fiat auctor nimiarum, vanarum et obscurarum subtilitatum. Sic Erasmus (iterum) in *Stultitiae Laude*<sup>12</sup> Scotum longa paragraphe carpit et irridet. Bonum exemplum earum argutiarum, quas humanistæ habebant ludibrio, præbet ista disputatio de vocabulo «membrum»; gravis quidem quæstio, cum in studiorum universitate digna visa sit, quæ per quattuor integros dies tractaretur!

Inter scholasticorum consuetudines erat disputatio theologica, ad exemplum dialecticorum argumentationis elaborata. Nec mirum: Aristoteles enim, dialecticorum princeps, a scholasticis pæne habebatur fons omnium scientiarum. Hæ rhetorica altercationes, cum essent mere speculativæ nixæque textuum interpretationibus, quin etiam interpretationibus interpretationum, in irrisionem postea versæ sunt. Ac fieri potest ut subiuncta epistula, qua in utramque partem tractatur difficilis quæstio professoris salutandi aut non salutandi, imitatione simulet illas disputationes.

« Antonius Rubenstadius M. Ortvino Gratio salutem ex cordiali affectu amicabiliter optat. Venerabilis domine magister, sciatis quod pronunc non habeo tempus ad scribendum de aliis rebus non valde necessariis, sed tantum respondeatis mihi ad unam quæstionem quam sic propono: Utrum doctor in iure teneatur facere reverentiam magistro nostro qui non incedit in habitu. Est autem habitus magistrorum nostrorum, sicut scitis, caputum magnum cum liripipio.<sup>13</sup> Est hic unus doctor qui est promotus in utroque iure et habet inimicitiam cum magistro nostro Petro Meier plebano.<sup>14</sup> Et nuper obviavit sibi in platea, quando magister noster Petrus non ivit in habitu, tunc ille iurista non fecit ei reverentiam. Et postea fuit dictum quod non bene fecisset, quia etiam si esset inimicus eius, tamen deberet ei facere reverentiam, propter honorem sacræ Theologiæ. Quia deberet esse inimicus personæ et non scientiæ. Quia magistri sunt in loco apostolorum. De quibus scriptum est: 'Quam speciosi pedes evangeliæ zantium bona, prædicantium pacem.'<sup>15</sup> Quapropter si speciosi sunt pedes eorum, quanto magis capita et manus debent esse speciosa. Et videtur quod omnis homo, etiam principes debent honorem et reverentiam facere Theologis et magistris nostris. Tunc ille iurista respondit, et præcise in contrarium allegavit suas leges et multas scripturas, quia scriptum est: 'Qualem te invenio, talem te iudico.'<sup>16</sup> Sed nemo tenetur facere ei reverentiam qui non incedit qualiter debet, etiam si esset princeps. Et quando presbyter reperitur in aliquo indecenti opere et non est vestitus sicut sacerdos esse

debet, sed habitu sacerdotali, tunc iudex sacerdotalis potest eum habere et tractare pro homine sacerdotali, et afficere eum poena corporali, non obstantibus privilegiis clericorum. Sic dixit ille iurista; sed vos debetis mihi significare mentem vestram, et si non scitis per vosmet ipsum, tunc habetis consulere iuristas et Theologos in universitate Coloniensi, quod sciam veritatem: quia deus est veritas, et qui amat veritatem, amat etiam deum. Similiter debetis notificare mihi quomodo procedit in vestra lite contra doctorem Reuchlin. Ego audio quod ipse est depauperatus, propter magnas expensas, et valde lætor. Quia spero quod Theologi erunt victores et vos etiam. Valete in nomine domini.» (I, 26)

Cum hic agatur de studiorum universitatibus, proxima occasione, bone lector, eandem arripiam ansam ut una videamus quæ illis temporibus fuerint alumnum condiones vivendi. ☩

(continuabitur)

1. Carlinus sive carolinus: nummus in usu tam in Italia quam in Germania.

2. Iuncundissima platea Romana, *Campo de' Fiori* vocata.

3. Verisimiliter sic narrat propter Ac 28, 3-6, ubi Paulus Melitam post naufragium appulsus a serpentis morsu miraculose servatur.

4. Bancus non solum est scannum, sed etiam tribunal – hic manifesto, cum agatur de lite poetica. A. Blaise, *Lexicon Latinitatis Medii Ævi*, Turnhout, Brepols, 1975, p. 92.

5. Secundum enarratores, sive *Homeri Iliadis Libri aliqui* per Nicol. de Valle latino earmine redditi... Romæ in domo Johannis Philippi, 1474, sive *Iliadis Homerica Epitome*, 1492.

6. Secundum editorem, sive Florentina editio a. 1488, sive Venetiana a. 1504.

7. Petri Lombardi (XII s.) *Sententiarum Libri IV* tractant omnes quæstiones theologicas. Eos interpretati sunt, inter multos alios, Scotus et Aquinas.

8. Thomas Aquinas.

9. Alphonsus de Spina, *Fortalitium fidei contra Iudeos, Saracenos, aliosque fidei christianæ inimicos*. Spina, franciscanus, rector fuit universitatis Salmanticensis.

10. Vergilius *Ecl. II*, 1.

11. I.e. Lovaniæ sive Lovanii.

12. *Moria Encomium*, LIII.

13. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimæ Latinitatis*, 1883, V p. 120: Liripipum, Epomis, unde Belgis *Livre-Pipe*, seu potius longa fascia, vel cauda caputii.

14. I.e. paroecia sacerdos. R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la Renaissance*, Leiden, Brill, 2006, p. 414.

15. Rom. 10, 15.

16. Ez. 18, 30.

## DE DEO ET FVTVR GENTIS HVMANÆ

QVID CENSEAT PHILOSOPHVS (III)

*- colloquuntur Tommius Lebtönen et Samius Jansson -  
(et aliquando interloquuntur personæ ex ludis Terentianis Ciceronisque scriptis)*

SAMIVS. At quomodo respondis huic, an credas Deum esse?

TOMMIVS. Dicam me aliquando sentire Deum esse, et aliquando certe credo, sed simul – propter hanc rem, qua philosophus sum eruditus – debo quidem hic dicere me plane numquam vidiisse Dei exsistentiam probari rationibus philosophice validis ac scientifice alligantibus indicis. Ergo hoc quodammodo patefacit, qua de re religio mihi potius sit actio automataria. Religio mihi ne aperte quidem est magni momenti, exempli gratia admodum raro frequento cérémonias ecclesiasticas. Recentibus annis ubi templum intravi, hoc feci uxorem Riikkam comitans, quæ officinam ecclesiasticam curat sacerdos, sed fere numquam cérémonias participo ecclesiæ publicas. Etiamsi æque facile ac velut plane domi maneam possim cérémoniis ecclesiasticis esse particeps, talis mos religionem exercendi nec mihi necessarius est neque consuetus, sed – [spatium temporis productum cogitat silens].

MENEDEMVS. *Quid obticuisti?*<sup>1</sup>

TOM. [pergit] – sed forsitan hac occasione metaphorice dicam religionem mihi esse velut in dorsi spina affixam. Ubi enim non de ea re attente vel sciens cogito, tamen fieri potest ut precer automatice vel religiose cogitem, etiamsi plane nullum dumtaxat tunc habeam fundamentum rationis agendi sic, neque tale mihi desidero.

SAM. At certe aliquibus rationibus propulsus sic agis, etiamsi non scientificis?

TOM. Ita – istæc rationes sunt velut progenies experientiæ quotidianæ, etiamsi fere numquam religiosæ experientiæ mihi exsistant, vel aliquæ forsitan, istæ autem mihi nullius fere sunt momenti.

SAM. Mihi quidem aliquando sunt – dico hic me tibi assentiri et cogitare simili fere ratione, sed religiosæ experientiæ, quæ mihi sunt, sunt cuiusdam generis elationes. Istante igitur rem voco «ambulationem camelii», nam ubi experior aerem lepidum vel etiam asperum, tunc fieri potest ut hæc ipsa experientia me quodammodo extollat. Nam fieri potest ut gradum sistam et deinde per longius spatium temporis nihil plane aliud faciam quam mirer betulæ corticem vel quidcumque simile ad naturam pertinens. Sic maneo ibi tunc spectans et ipsa experientia fruens – possim tamen certe analyticè distinguere, quid ibi fiat, nimurum quod radii solis reflectuntur de superficie illius betulæ et ad retinam oculorum meorum adveniunt sed hæc omnia minimi ponderis sunt.

CLINIA. *Deorum vitam apti sumus.*<sup>2</sup>

TOM. Ipse etiam aliquando habeo similes experientias ad naturam pertinentes, sed quondam in India etiam

fortiorem habui experientiam quandam religiosam, nam ibi me exercere solebam ioga-meditatione et inter quandam sessionem qua meditabamur habui experientiam mysticam quam exacte tibi hic delineare nequeo, sed valde fortis erat vel memorabilis. Sed etiam extra experientias fortes, quales rarissime habeo, tum mihi sponte occurrit cogitatio quædam religiosa, tum simpli-citer precationem expiro. Tales mihi videntur similes ac experientiæ artisticæ potius quam ad scientiam per-tinentes vel ad res quæ iacent in fundamento firme. Tales cottidianæ experientiæ simpliciter occurrunt mihi sine ulla intellectus actione. Sed quæ maxime recentibus annis et hodie dirigunt publicam de religionibus disputationem criticam sunt certæ actiones terroristicæ, quæ videntur attinere præcipue ad mundum Islamisticum. Illis occasionibus terroristæ vim appro-bant rationibus vel radicibus religiosis, ac illud videlicet explicat, cur in disputationibus divulgatis actis in diurnis aliisque in publicis divulgandi instrumentis fortificata sint varia argumenta contra res ad religiones pertinentes, etiamsi fit certe aliis etiam de causis ac nullo modo talia sunt dicenda solum de fide Islamistica, nam ne quidem fides Christiana innocens est, quod iusto quidem disputatur publicis divulgandi instrumentis. Aliquando autem dum lego talia argumen-ta miror, an ista argumenta æque tractent omnes aspectus qui de religione dici possunt. Sed hoc non dico religiones defendens, nam certe in civitate libera civibus debet servari ius religiones reprehendendi. Oportet igitur civitas sit tantopere aperta, ut etiam res, quæ ibi habentur sanctæ, a civibus liberis si sic cupiunt reprehendi liceat. Hoc principium mihi vide-tur esse maximi momenti civitatis democraticæ.

SAM. Ita, acu pupugisti quod ad res sanctas in nostris civitatibus attinet, sed ante quam finem faciamus velim te rogare per occasionem, qua de re, ut ipse arbitraris, industrialis civitas capitalistica orta sit in civitate Christiana, et quale tibi videatur futurum civitatum industrialium profanarum.

TOM. Ista ex interrogationibus quæ in antecessum ad me misisti durissima est, et ea perlegens difficillime me illi respondere valere censui, quonam ergo modo fides Christiana iugata sit Occidentalí capitalismo. Patet illa iugata esse correlatione cuiusdam generis, nam geographice et per culturam videntur existere et orta partim etiam esse in eisdem regionibus. Sed sitne nexus quidam causalis inter illa – sitne fides Christiana capitalismi causa efficiens, huic quæstioni respondere difficilius mihi videtur valde...

SAM. Fierine potest ut aliqua Christianæ fidei prin-cipia ad mores Christianos pertinentia velut fundamenta

sint capitalistici propositi lucrum petendi?

TOM. Illud difficile dictu est, nam imprimis dicendum est «Christianos mores» vel «ethicam Christianam» esse notiones dubias, quod nulli dumtaxat existunt monolithici mores Christiani, si enim exempli gratia examinamus, quid dicat Jesus in sermone in monte dato, statim videmus eum nihil nuntiare ad capitalismum promovendum, et multi quidem censem istum sermonem nucleus esse morum Christianorum. Vel si cogitamus de regula aurea, quæ dicit te debere alios tractare eodem modo ac te ipsum ab aliis tractari velis, eiusdem regulæ nexus ad capitalismum videtur esse admodum debilis vel potius nullus. Sed ea quæ in fide Christiana maxime tribuerunt capitalismo forsitan est principium fideliter laborandi protestanticum, quod inventum est admodum diu, iam sub reformatione sæculo sexto decimo minus quidem inter Lutheranos, sed præcipue inter protestanticos, qui censuerunt hominis vitam mundanam indicare, num sit idem homo a Deo delectus annon, principium igitur laborandi protestanticum poscit, ut quicumque opus faciendo quæstumque ac lucrum petendo optime succedat in vita, eo facto pateat eundem esse a Deo delectum.<sup>3</sup> Talis quidem opinio revera partim attinet præcipue ad reformatam Christianitatem, sed nescio an ullius momenti sit ipsi Christianitati, etiamsi certum sit eandem maxime attinere ad capitalismum, nempe quod lucrum petitur atque incrementum œconomicum desideratur, sed haud fortiter videntur talia hominibus vel in Testamento novo esse monita vel saltem ab Iesu dicta – si enim quæ ibi sunt scripta sincere veritatem servant de dictis Iesus historici, quod tamen in dubium licet revocare, de qua re quondam sumus collucuti – sed etiam dubito, num tale principium sit magni momenti in theologia Christiana postera. Quæ autem maxime referunt ad Occidentalem capitalismum, hic enim natus est inter nationes admodum similes inter se, quæ tamen etiam quadam apta ratione inter se differebant ac parvi erant, nam quod in Europa exsistebant parvæ res publicæ nationales, hoc quodam modo incitavit totam Europam ad negotia mercatoria inter easdem res publicas gerenda. Ergo nationes Europæ iam diu habent vitæ condiciones fere æquas ac mores fere similes, ac proinde facile negotia mercatoria iam olim gerebant.<sup>4</sup> Sic etiam dicere licet fidem Christianam, quæ cultus prævalens passim in Europa est iam diu exceptis regionibus Islamicis, partim effecisse ut hic et condiciones vitæ sint æquæ moresque admodum similes et simul tamen parum differunt inter varias nationes Europæ, et ideo terram aptissimam præbuisse rebus mercatoriis et technologicis.

Etiam, ut videtur mihi, res quædam Europæ singularis est institutum academicum, quod absque ullo dubio multum tribuit ad capitalismum promovendum, nam idem nimirum alas iam tradidit progressui scientifico-technologico, incertus tamen sum quomodo istud sit adiutum fide Christiana. Multi quidem hac in occasione recordantur, quid sit dictum sacris in scripturis, ubi traditur in Genesi Deum Creatorem creavisse hominem vilicum et mundum ceterum eidem ipsi homini totum ad usurpandum terramque ad colendam istunc ad finem, ut idem de eo curam haberet, quod fundamentum adserunt esse anthropocentricæ affinitati inter hominem Occidentalem naturamque rerum, et ipse non nego illam esse Occidentalis traditionis, sed nescio, an hæc cultui Christiano omnia sint magni momenti. Sed ipse cautissime dicam fidem

Christianam esse ipsam causam efficientem capitalismo, sed certe eadem inter alia micula est quædam in iure isto concocto. Hodie quidem capitalismus videtur bene intrasse alios etiam orbes culturales qui origine ab Europa longe differunt, ut Sinas, quod aptum exemplum est hoc in loco, ibi enim hodie videtur esse capitalismi nidus principalis potius quam in ulla re publica Occidentali.

SAM. Quidnam paret Providentia, audesne divinare, rebus publicis industrialibus, quæ videntur recenti sæculo profanæ esse factæ? Credisne propositum capitalisticum optime posthac progredi an esne potius dubius hac de re?

COTTA. *'Non curat<sup>5</sup> singulos homines.' Non mirum: ne civitates quidem; non eas: ne nationes quidem et gentis. Quod si has etiam contemnet, quid mirum est omne ab ea genus humanum esse contemptum?<sup>6</sup>*

TOM. Dicam me credere malle omnia bene iri eventum, infeliciter autem exsistunt relationes investigatorum haud paucæ, qui admodum validis indicis in eisdem relationibus traditis demonstrant hodiernum mundum Occidentalem capitalisticum mox finem suum attingere. Partim hæc calamitas ex eo oriuntur, quod opes naturales momenti gravissimi et præser-tim petroleum illud facile sumptu pretiique minoris ubi exhaustæ denique erunt, hoc verisimiliter œconomiam mundi per declive depellit, vel etiam fieri potest, ut mundi totius œconomia delapsum eat, et præter quod capitalismus hodiernus propter opum naturalium egestatem potest interimi, insuper periculum est grave ne capitalismus immensis deleatur mundibus calamitatibus. Et præter illa omnia, exhaustæ opes et calamitates circumiacentia delentes etiam possunt efficere, ut nationes incipient bella inter se gerezre. Hæc omnia pericula quam vividissime se præbent

meo animo, ita, quod enim censeo talia verisimiliter esse eventura, ipse quidem non dubito quin capitalismus Occidentalis quodam modo delabatur, aut per quandam calamitatem naturalem aut propter egestatem opum naturalium. Etiam fieri potest, ut homines ipsi œconomiam mundialem bellis gerendis deicant.

PAMPHILVS. *Sane hercle homo voluptati obsequens fuit, dum vixit; et qui sic sunt haud multum heredem iuvant, sibi vero hanc laudem relinquunt: «vixit, dum vixit, bene».*<sup>7</sup>

TOM. Atqui saltem adhuc spirantes sperantesque habemus facultates quadam ratione impediendi, quin illa calamitas sit quam arduissima, sic credo ipse, et hac in re videtur mihi investigatio academicia instrumentum validum esse, sicut etiam investigatio ethica et quidem spiritualitas.

SYRVS. *Nihil tam difficile est quin quærendo investigari possiet.*<sup>8</sup>

TOM. Itaque speramus esse futurum ut homines sint prudentes et serio approbent scientiam academicam iam divulgatam atque eidem etiam sensu ethico adplicant se ipsos potius dirigentes ad studia spiritualia quam nescioquas materiales res sibi accumulando. Verum, hodie plurimi videntur sequi illud ultimum propositum, sed sperare dumtaxat licet gentem humanam futuram esse prudentiorem.

#### EPILOGUS

Dum operam dabam huic symbolæ Latine scribendæ, interdum aliqua scripta mea communicabam cum Tommio. In quodam per cursum electronicum ad me misso responso talia dixit:

TOMMIVS. Nuperrime me valde vexare incepert quæstiones ad circumiacentia pertinentes tantopere, ut hodie fere discrimine cogitandi laborem. Primum, sæpissime his diebus audimus haud paucas orationes vel legimus scripta quibus rerum periti monent nobis immensam calamitatem œcologicam, œconomicam et politicam iam fores pulsare vel potius iam intravisse vestibulum.<sup>9</sup> Istud discrimen nobis ortum est propter nimiam hominum multitudinem, nimiam etiam consumptionem, opum naturalium penuriam, pollutu-  
nem et bella, quæ ad illa omnia attinent. Hæc problema manifesto iam nobis in manibus sunt ac gens humana nihil nunc facit aliud nisi exspectat, ut ulte-  
rius ingravescant malignissime. Secundum, ignoramus multas res, nempe quid sit cogitandum de his omnibus et præcipue quomodo vivere et agere debeamus. Aliqui credunt homines posse admodum facile se accommodare novis condicionibus vitæ, at etiamne nunc id fieri potest? Quæ sunt illa, quibus debeamus nos ipsos

præparare, ac huic etiam quod in futuro fiet, possu-  
musne ulla ratione nos præparare? Saltem hic Vasæ cives et multis aliis in locis vitam vivunt cottidianam velut pulluli in nido aliti. Circumiacentia adhuc admodum pura hic sunt, sat alimenta, calor, vestimenta et cultura humana abundant, nulla quidem fossa vidi potest. Vehimurne igitur velut assulæ undis an sede-  
mus potius velut in lintre nescioquali, quæ quidem quodammmodo dirigi potest?

CHREMES. *Quid cum illis agas, qui neque ius neque bonum atque æquum sciunt? Melius peius prosit obsit, nihil vident nisi quod lubet.*<sup>10</sup>

TOM. Etiam oportet interrogemus, quanam ratione nobis recte sit vivendum. Nam saltem conceptus valorum interiorum talis est, qui poscat, ut sic vivamus ut illi imperant, etiamsi spes sit iam diu perdita. Forsitan harum rerum nucleus insit inter hæc: quid sit futurum optimum et quid revera nobis sit exspectandum, et qua ratione debeamus ista intellegere ac sitne in potentia nostra sic agere ut omnes res optime eveniant. ☩

1. Terentii *Heautontimorumenos*, 938.

2. Terentii *Heautontimorumenos*, 693.

3. Iam Max Weber divulgavit anno 1905 opus cui nomen est *Die Protestantische Ethik und der Geist des Kapitalismus*.

4. Postea Tommio per cursum electronicum talia scripsi: «Proponis igitur explicationem neoclassicam ad hoc, nationes quomodo opulentes fiant. Nolimus tamen oblivisci nationes Europæas iam diu servorum labore sibi in coloniis post maria sitiis parare divitias, quas deinde ad Europam apportant paupertatem post tergum ibi in regionibus remotis et duritas relinquentes.»

5. Scilicet Providentia.

6. Ciceronis *De natura deorum*, liber III, 93.

7. Terentii *Hecyra*, 459-461.

8. Terentii *Heautontimorumenos*, 675.

9. E.g. A. D. Barnosky et al. (2012). *Approaching a state shift in Earth's biosphere* ([http://www.eccearth.info/shared/docfeed/biosphere\\_state\\_shift\\_nature.pdf](http://www.eccearth.info/shared/docfeed/biosphere_state_shift_nature.pdf)).

10. Terentii *Heautontimorumenos*, 642-3.

# DE DAVIDE MORGAN

## LINGVÆ LATINÆ FAVTORE PRÆCLARO

– *scripsit Iustinus Mansfield consiliis et Milenæ Minkovæ et Terentii Tunberg fretus –*

**N**untius die mensis Februarii sexto emissus est tristissimus: Davidem Morgan, linguæ Latinæ fautorem strenuissimum, diem obiisse. David, quippe qui non solum pulchre et perite Latine loqueretur, sed etiam humanitate, comitate, multarum rerum scientia semper commendaretur, a multis linguæ Latinæ cultoribus tam in America septentrionali quam in Europa diligeretur.

David die 22 Iulii, anno 1959, parentibus Thoma Gulielmo et Dorothea Wells Morgan natus est. Juvenis in studia diligenter incubuit et apud Academiam Woffordensem in Carolina Meridiana sitam quadrennium commoratus ob operam non solum litteris Francogallicis sed etiam rei œconomicæ et rebus gestis datam baccalaureatu anno 1981 ornatus est. Dein se in Tennesiam ad Academiam Vanderbiltensem contulit, ubi legibus studuit Iurisque Doctor est anno 1984 renuntiatus. Tum iuris consulti munere quattuor annos Novi Eboraci fungebatur legum ad societates quæstuousas pertinentium peritus. A quo munere cum pecuniam haud parvam acciperet, effusius et luxuriosius, ut postea solebat ipse iudicare, aliquamdiu vivebat. At tandem aliquando tæduit eum gaudiorum cito evanescens: cum homines quos noverat circumspexisset, beatissimi ei maximeque rebus suis contenti videbantur illi, qui artes litteras in academiis maioribus profitebantur. Itaque subito multisque amicis mirantibus munus, quod habuit, defugit operamque litteris Francogallicis in Universitate Principitonensi (quæ est in Nova Cæsarea sita) dare coepit. Ibi, postquam ad gradum magistralem pervenit, anno 1992 ad litterarum Francogallicarum doctoris gradum provectus est. His laureis academicis honestatus munus docendi in universitate studiorum Columbiana Novi Eboraci sita accepit: ubi cum doctissimis quidem et notissimis hominibus commercia habebat creberrima (quæ ei valde placebant); at cum discipulis perpaucis et (quod David ipse dictabat) nimis coartata. Migravit igitur anno 1993 in Carolinam Meridianam et ad universitatem studiorum Furmanianam, ut ibi litteras linguamque Francogallicam doceret. Hoc munere fungens non solum Francogallicorum litteras, linguam, cultum tractabat, sed etiam doctoris legum laurea, qua multo ante donatus erat, fretus leges, quales ad opera litterarum divulganda pertinent, coram discipulis interdum explicabat.

Vir ingeniosissimus pæne nullam artem non callebat. Optime tam clavili quam voce canebat. Francogallice, Hispanice, Lusitanice, Germanice, Italice, Latine tam belle loquebatur, ut multi eum pulchrius his linguis quam sermone patrio eloqui crederent. Quod ad Linguam Latinam attinet, non solum volubiliter loquebatur, sed etiam arte lexicographica præstabat. Nam de-



*David inter seminarium  
Siculum, a. 2000.*

qualibet re interrogatus locutionem verbumve aptum apud auctores vel antiquos vel recentiores fere semper invenire valebat. Itaque, hortantibus Milena Minkova Terentioque Tunberg, lexicum Latinitatis recentioris parare constituit. Quod ut paulatim instrueret, pri-mum Silvam (h.e. quasi quandam verborum e quibuslibet fontibus sumptorum congeriem) composuit. Exinde verba, quæ ille esse optima et aptissima censebat, in Adumbrationem (id enim nomen capitl alteri a Davide inditum). Ambo autem opera simul in Rete Universali collocavit, quo facilis et Milena et Terentius omnia in utraque parte posita conspicerent: quod fecit David parum reputans sese et Silvam et Adumbrationem in conspectum omnium hominum quasi uno ictu dedisse. Maluerat enim David exspectare donec opus unicum et perpolitum in publicum emittere posset. Ambo autem opera cito invenerunt Latine loquendi studiosi, quæ pro maximo emolumento adhuc habent fere omnes. David, cum permultos opera sua lexicographica invenisse et iam cognovisse factus esset certior, tantum aberat ut scripta sua e Rete tolleret, ut incrementa lexi-cis suis nova aliquando (etsi rarissime) adderet. Quæ lexica in situ Retis academiae Furmanianæ dicato usque ad hoc tempus legi possunt. At, Davide tam subito a nobis erepto, nemo scire videtur quid his lexicis futu-rum sit. Additamenta quidem nondum divulgata in eius scriniis electronicis adhuc fortasse latitant.

David autem mense huius anni Februario nondum quinquaginta quattuor annos natus iecinore captus citissime periit. Tam subito et ex inopinato raptus est, ut multi in amicorum numero ne scire quidem possent eum ægrotare. Et ego equidem, cui semper placuit cum Davide de verbis Latinis disserere et garrire, numquam dubitavi quin commercium cum eo habere pergere possem. Nunc autem tot sunt quæ numquam rogare potero. Et ego et alii linguæ Latinæ cultores tantum inge-nium et talem animum a nobis separatum esse dole-mus et lamentamur.

Vale, David noster, requiescas in pace. ☩



# *In hoc fasciculo !*

*Deceptus gymnasio [G. Licoppe] p. 1  
«Scidula», Augusti Strindbergii Sueti narratiuncula [V. Jenniges] p. 2  
Modus promovendi doctores, qualis fuerit sæculo XVII [F. Deraedt] p. 4  
De immenso cælo (VI) [G. Licoppe] p. 6  
Epistolæ obscurorum virorum (II) [F. Deraedt] p. 10  
De Deo et futuro gentis humanæ quid censeat philosophus (III) [S. Jansson] p. 13  
De Davide Morgan linguae Latinæ autore præclaro p. 16*

*Imago tegumenti: Habitus medici pestem curantis: tunica talaris, digitabula, perspicillum, persona rostrata (in rostro inerant aromata), petasus, baculus (Paulus Fürst, 1656, Wikimedia)*

---

## *Latine loqui :*

Academiæ Latinitati Fovendæ XIII conventus - Vindobonæ, 18-21 m. Septembris a. 2013  
[ALFCongress-Vienna@univie.ac.at](mailto:ALFCongress-Vienna@univie.ac.at)

Conventiculum Bostoniense - 27 m. Iulii - 4 m. Augusti a. 2013  
[www.conventiculum.org](http://www.conventiculum.org)

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 5-11 m. Iulii a. 2013  
<http://www.dickinson.edu/academics/programs/>

Conventiculum Latinum - Lexingtoniæ, 17-24 m. Iulii a. 2013  
<http://mcl.as.uky.edu>

Conventiculum Viomingense - 5-13 m. Augusti a. 2013.  
<http://www.wyomingcatholiccollege.com/conventiculum>

Conventus de antiquitate Ponti Euxini - Pilsnæ in Bohemia diebus 21 et 22 mensis Maii a. 2014.  
[http://www.volny.cz/petr-brezina/pontus\\_2014/index.html](http://www.volny.cz/petr-brezina/pontus_2014/index.html)

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 10-17 m. Iulii a. 2013  
[www.friegolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae](http://www.friegolet.com/fr/vie-culturelle/feriae-latinae)

Linguæ Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum  
<http://vivariumnovum.net>

Septimana Californiana instituti SALVI - Angelopoli, 1-8 m. Iulii a. 2013  
[www.latin.org/programs/septimana/Latine](http://www.latin.org/programs/septimana/Latine)

Septimanæ Latinæ Europææ - Amœneburgi, 28 m. Iulii - 4 m. Aug. a. 2013  
Frisingæ, 1-7 m. Septembris a. 2013  
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Ottiliensi, in Bavaria, 15-20 m. Iul. a. 2013  
In oppido Theulegio, in Saravia, 11-17 m. Aug. a. 2013  
[www.voxlatina.uni-saarland.de](http://www.voxlatina.uni-saarland.de)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

